



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 1. Quid in hac materia veniat nomine bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

§. 1.

Quid in hac materia veniat nomine honorum immobilium, & mobilium pretiosorum?

1149 **I**n c. Nulli 5. h. t. dicitur: *nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesia, sive agrum, sive rusticum, mancipium*; licet autem denominatio, *rerum immobilium, & mobilium* communiter ad res etiam incorporeas extendatur; tamen, ut notat Molina, tr. 2. D. 68. talia tamen *proprie* dicuntur res corporeæ, ita, ut mobilia sint, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia, naves; mobilia, quæ loco moveri nequeunt, ut prædia, domus, ager.

1150 **I**mmobilium igitur *appellatione* veniunt fundi, prædia, domus, agri (ut dicitur cit. C. Nulli) & similia corporalia, quæ fixam radicem habent; item incorporalia, ut. 1. census, quibus annui reditus correspondent; jus ad ipsos; Aloyf. Riccius in collect. decif. p. 3. collect. 668. 2. quælibet servitutes; 3. Commendæ, & beneficia Ecclesiastica; 4. jus Patronatus; 5. ususfructus longi temporis; 6. Jura, & actiones longi temporis, quod censetur decennium: Sed hoc intellige de juribus, & actionibus *absolutis*, non conditionatis, quale habet legatarius ad rem legatam ante legati acceptationem. Hinc tale jus non dicitur esse inter bona legatarii. L. *pretia rerum*. ff. ad legem Falcidiam. Castropal. de reverentia debita Ecclesiasticis. d. unica. p. 15. §. 2. n. 11. Huc etiam accessorie pertinent actiones, & nomina, atque instrumenta debitorum, si sint de immobilibus, vel mobilibus pretiosis; non autem aliter; sic Pirhing h. t. n. 14.

1151 **M**obilium *appellatione* veniunt *census redimibiles*, quos proinde, attento futuro eventu, & redemptionis tempore inter mobilia numerat Garcia de benef. p. 2. c. 5. n. 96. Matien. l. 2. Glos. 1. & Anton. Gomez. de Cens. c. 3. n. 4. Veniunt *naves*, ut tenet Molina cit. loc. & videre est apud Tiraq. de retractu lig.

§. 1. Glos. 7. n. 88. & Menoch. remed. 1. recuper. n. 42. Interea verò, quæ servando servari possunt, numerantur vasa aurea, & argentea, gemmæ, vestes quæ longè ab interitu distant; & generaliter omnia illa, quæ fructificant, & triennio durant, ut docet gloss. in L. 1. C. si adversus usuras. Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 5. & 7. Barbosa de off. Episc. p. 3. allegat. 95. à n. 38. In quæstione autem cujus valoris esse debeat res, ut hic *pretiosa* dicatur? responder Castrop. de Reverentia debita Ecclesiasticis D. unic. p. 15. §. 1. n. 2. centum aureorum, ubi numero sequenti gregem ovium numerat inter pretiosa, quæ servando servari possunt.

Dubitari autem potest 1. an *pecunia* 1152 veniat sub mobilibus pretiosis conservandis? negant communiter, juxta c. Eyciens Dominus. dist. 88. sed hoc c. est solum D. Chrysofomi, & notatur v. *palette*, agitque solum de negotiatione Clericorum; ceterum hoc ipsum limitat. Azor cit. q. 5. nisi destinata sit ad cœmenda stabilia v. g. censum prædiorum, domos, &c. Hæc limitatio vera videtur 1. quando talis pecuniæ destinatio ortum habet ex voluntate Testatoris eam relinquentis ad illum finem; 2. quando provenit ex re Ecclesiæ immobili, vel pretiosa mobili vendita; 3. quando moniali data est in dotem: sic Castropalaus n. 5. 4. si destinata sit pro futura aliqua necessitate conservandi patrimonii; tunc enim succedit loco patrimonii, sic Barbosa cit. n. 45. ut si destinatio facta sit voluntate Fundatoris, Testatoris, aut Ecclesiastici Prælati auctoritate.

Illud tamen nota, quod P. Paulus Rosmer de contractibus §. *de Clericis*, agens de quæstione, *quid possint Clerici in alienatione rerum Ecclesiasticarum*, q. 3. inter mobilia numerat *pecuniam*, sive sit destinata ad rem mobilem, vel immobilem comparandam, sive sit comparata ex venditione rei mobilis, vel immobilis; item jura, & actiones ad obtinendas res, quæ vel ex natura sua, vel ex particularibus constitutionibus debent, & solent statim consumi, quale est jus, quod acquirit Ecclesia ad pecuniam sibi, vel ex donatione; vel testamento reli-

relictam; vel jus, quod potest habere Domus professa societatis Jesu ad aliquam domum, vel fundum sibi datum; quia, cum ipsa non sit capax obtinendi bona immobilia, ex intentione donantis, & accipientis, sortiuntur naturam rerum mobilium: quo sensu inter mobilia etiam numerantur agri, fundi, & similia, quae dantur loco pecuniae alias debita.

1153 Secundò, si monasterio debeatur magna summa, & debitor, qui non est solvendo, loco pecuniae det unam arcam, hæc computabitur inter res mobiles, & sine ullis solennitatibus poterit abalienari; modò tamen non applicetur à Prælato rebus Ecclesiae, vel mensa. Item inter res mobiles numerantur domus, & similia, quae dantur Ecclesiae ad determinatum usum v. g. ad aedificium aliquod faciendum, vel ut dividantur, & emanent alia commoiores.

Dubitari potest 2. an inter pretiosa numerentur reliquiae Sanctorum? Res affirmativè, si insignes sint alicujus Sancti valde noti, qui apud omnes sit in magna veneratione. Nam licet reliquiae Sanctorum pretio aestimari non possint, nec pretio æquantur, sunt tamen supra omne pretium. Bonacin. de Contract. feud. D. 3. q. 8. n. 17.

1154 Dubitari potest 3. an legatum pretiosum, Ecclesiae factum, & acceptatum, veniat inter prohibita alienari? Res affirmativè ex n. 1148. quia sic est res Ecclesiastica pretiosa, quae servando servari possit, ut suppono, si Ecclesia, vel Monasterium capax sit retinere. Dixi, & acceptatum. Nam ante acceptationem putant aliqui, posse tale legatum recusari sine violatione canonum prohibentium liberam alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosorum; ita Sanch. lib. 7. matr. D. 4. n. 12. & L. 2. summa. c. 6. n. 4. Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q. 12. Nam ante acceptationem Ecclesia nondum habet jus *quasi*sum, sed *quærendum*; 2. quia non acceptando non fit alienatio, sed tantum non *acquisitio* juris in re; jus autem ad rem non est absolutum, sed pendens à conditione voluntatis nostrae. Hinc etsi hereditas delata, sed repulsa, transeat ad heredes; non tamen transit

repulsa, sed *successione*; ubi abest impedimentum legati alteri facti, & acceptati: ergo non intervenit eo casu alienatio. Et ideo, quando dicitur legata Ecclesiae, facta favore Ecclesiae, ipso jure transire in Ecclesiam etiam absque traditione per L. *fn. C. de ff. Ecclesiis*, intelligitur, transire non *absolute*, sed *sub conditione*, & revocabiliter. Quando autem dicitur, quod pupillus fundum sibi legatum, sine Prætoris auctoritate non possit (per L. *magis puto, ff. de rebus eorum*) repudiare, contingit, quia pupillo etiam lucris amissis prohibita est, quod non reperitur de Prælati Ecclesiae ordinatum.

Dubitari potest 4. an res alienari, vel non acceptari possit in casu legati rei immobilis, facti monasterio, vel domui religiosa, incapaci bonorum immobilium? Respondeo posse tunc alienari. Nam prohibitio alienationis est solum de bonis Ecclesiae, vel loco pio *incorporatis*, & mens testatoris fuit, ut legato uteretur eo modo, quo potest; cum præsumatur voluisse legatum firmum, eo modo, quo esse potest. Ita Riccius in praxi fori Eccles. decis. 56. Barbof. p. 3. de potest. Episcopi, allegat. 95. n. 39. Ex hoc autem à fortiori sequitur, idem fieri posse in casu, quo res mobilis pretiosa legata est loco pio talium bonorum incapaci; Cum alienatio rei mobilis pretiosa solum prohibeatur, in quantum aequivalet immobilibus c. *nulli*, h. r. & Barbof. ibid. n. 2. quae absolute alienari prohibentur; at in dato casu non prohibentur alienari immobilia, ergo nec mobilia pretiosa.

§. 2.

Quae alienationes rerum Ecclesiasticarum sint prohibita?

Supponendum, alienationem dupliciter sumi. 1. Strictè, quo casu supponit pro actu, quo rei alicujus dominium directum transfertur in alterum, uti fit donatione; venditione; permutatione. L. *alienum* 61. ff. de V. S. 2. late, quo casu supponit pro omni actu, per quem dominium, etiam tantum utile, vel quodcumque jus in re, etiam imperfectum, alteri in re aliqua constituitur; his præmissis.

Qua-